



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

προφώνημα Ad Operis Hvivs Illvstrissimvm Et Magnificos Patronos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**



αγοσφώνημα

AD OPERIS HVIVS ILLVSTRISSI-  
MVM ET MAGNIFICOS  
PATRONOS.

**D**Ullatam dimitte stolam, BAMBERGA, togūq;  
Vtere sepositis, & desine tibia lessum;  
Quos luxisti olim, rediuiuo emblemate nasci,  
Et clarum ē tenebris caput has in luminis oras

Iam reuocare vides: mirabere posthuma DIVOS;  
Quos iterum artifices iusserunt viuere charta,  
Antē tuis solitos in terris viuere DIVOS,  
O terris nimium generosa stirpe beatis!

Et verò cur ista TRIAS modo prodit in auras,  
Historiamq; suam voluit debere tot annis?

An quasi librorum tacitā speculantur amicti  
Nube, suamq; volunt, quam egerunt, cernere vitam  
In vitā, GOTTFRIDE, tuā? Non impare quantum

Se sapuisse animā, similemq; implese tiam  
Gestit OTHO, se seq; tuis miratur in actis?

Quem scit CECROPIAS dudum calcasse CICADAS,  
Quem GARAMANTEAS repulisse à vertice PENNAS,

Atque QVIRINALES heroo pectore LVNAS  
Inter honorigeri fallacia signa Senatūs,

Fortuna & vanas semper numerasse figuras:  
Hunc videt vnus nomen proferre Tonantis,

Et cæli curam propria postponere vitæ.

Quæ tamen esse tuæ pars illustrissima laudis,  
Assolet, & propriæ pulcherrima gloria samæ.

NIL TITVLOS CVRARE, NIHIL PRAECONIA, SVMMIS  
RES DIGNA EST TITVLIS: PRAECONIA MAGNA MERETVR,

QVI FVGIT, AVT CERTE SPONTE OCCVRENTIA SPERNIT.

Quanquam nec titulis non es laudatus auitis.

Omnia dat Fortuna tibi, quæ vitæ meretur.

Nam stirpe antiquā ramum centesime ducis,

XXI

Ed

Et tua nobilibus fulgerent atria CERIS  
Undique, si veterum velles meminisse parentum,  
Perq; domum priscos generis disponere vultus,  
Atque coronatis oculos statiare colosis:  
Semper enim niueis duxit Rhamnusia pennis  
Maiores, GOTTFRIDE, tuos; nitidissima semper  
Fama paternarum comitata est nomina laudum;  
Cunctorum currus ROTA CANDIDA vexit auorum.  
Sed tu maiores solers agitare triumphos,  
Fulgere aeterna virtutum laude praoptas,  
Deq; tuis factis ad auitos addis honores.  
Sic te prisca domus decorat, decorata vicissim.  
Utq; sit aqua satius vestrorum cura laborum.

GENS TVA TE TITVLIS, GENTEM TV MORIBVS ORNAS.

Sed magis ( atq; vtinam nostra tam magna Camæne  
Pectora Mæonio didicissent dicere versu,  
Iliades nullæ mihi, nulla volumina tantis  
Sufficerent factis ) labor est ornare sacratas  
DIVORVM sedes, magniq; negotia cæli.  
Quæ probat euentus sapientibus esse profecta  
Principiis: nec enim comites audire recusas  
Consilio augentes animi tam multa scientis  
Thesaurus, GOTTFRIDE, tui: quorum alter honore  
Nomine CHRISTOPHORVS, claro equiparandus Atlanti;  
Atque alter verè Troiani pectoris HECTOR,  
Hostibus haud astu, sed aperto Marte timendus.

Nec reor HENRICVM, CVNEGVDIS, & OTTO, virorum

Cernere tantorum se nunc in imagine spernunt;  
Et, nisi fallor, in his vellent habitare medullis.

Qualis Hylas, vbi vidit Hylâ pubescere lympham,

Et subitum vitreo puerum florere sub anne,

Merserat ipse suos vultus laciens vndis.

Verum ego non DIVOS, quibus est amor omnibus idem,

Vsq; adeo miror: nec enim cum templa sacrasq;

Tot restaurarint edes, arasq; dicarint,

Tres tam MAGNIFICAS poterant odisse COLUMNAS.